

The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Clericus h cum uariis

Cum cuncti status hominum aliquid habeant laboris et aliquid uoluptatis, clerici inter hec nouo quodam artificio discernentes totum quod delectat in quolibet elegerunt, et totum quod molestat respuerunt; a militibus acceperunt superbie fastum, amplam familiam, equorum faleras et nobiles apparatus; a mulieribus dependentes collo pelles rubricatas, uinum, molliciem, balneum et gloriam; a rusticis fructus agrorum, horrea plena. Sed bene cauent militaris lorice pondus; muliebrem declinant uerecundiam. Omnes rustici et agricolae uictum sibi labore acquirunt, hii deliciis affluunt, et tamen adueniente fructuum tempore, promptuaria eorum plena tritico, et bibunt uinum uue meracissimum, et inde incrassantur, impinguntur et dilatantur. Cum ergo resurgere ceperint homines quilibet in ordine suo, isti cum quibus resurgent? Si diuertere uoluerint ad milites, ipsos exsufflabunt. Sic cuncti homines a suis finibus arcebunt, et isti qui in nullo fuerint ordine, ubi putas quod collocabuntur? Restat ergo ut illum locum sorciantur ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat, et sint in laboribus demonum qui in laboribus hominum non fuerunt.

Bernardus super illud Psalmi: In labore hominum non sunt, ideo cum hominibus non flagellabuntur.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

aliquid habeant] habeant aliquid M; hec] hoc M; quolibet] acceperunt *add. (del. sub lin.)* B; fastum] faustum P V¹; bibunt uinum] uinum bibunt P V¹ V² L¹ L²; quod *om.* P V¹ V² L¹ L²; laboribus] labori M; cum hominibus *om.* P V¹ V² L¹ L²